

102

18

2D . B. V.
DISSERTATIO
DE

TITULIS,

PRÆSIDE

M. ANDR: DAVIDE
CAROLO,

Facult. Philosophicæ Adjuncto,

RESPONDENTE

JOHANNE Dünnehaupt/


Qvedlinb. Saxone,

Poëta Laureato Cæsareô,

publico Eruditorum examini exposita

XXVII. Mart. A. M DC LXXXVI.

H. L. Q. C.



WITTEBERGÆ,

Literis JOHANNIS WILCKII.





J. J.!

I. Titulus est vox πολέσιμ.



Titulum † Festus & Varro à tuendo s. tutando dici volunt, 1. quòd auctorem suum tueatur & vindicet: Becmannus de Orig. Lat. Ling. in hac voce cum J. C. Scaligero l. 1. Poët. c. 9. ἀπὸ τῆς τίειν, unde τιμὴ & porro ὑπὸς, dedit, quando quidem honor & Titulus idem sint. Notat † 2. a Titulus [1.] Inscriptionem a. Libri, quantumvis hòc illi non semper accuratè respondente, cum sæpiùs in fronte, quàm in sinu, plus gerens, definitum definitione angustius exhibeat, nec promat, quod vel quantum Inscriptio promiserat; ut eo casu forsitan haud immeritò cum Friderico Lingelhemio ap. Jul. Wilh. Zingref. in Apophth. p. 248. quærere posses: *Ubi Liber ad hunc Titulum?* β. Capitis in Libro vel Sectionis, ut e. g. in Institut. Justin. It. pagina in LL. CC. ad quam excerpenda referimus. vid. Drexel. Aurif. part. 2. c. 4. & 5. γ. Nummi & Monetae, cujusmodi Tituli s. Inscriptiones (in quarum scrutinio singularem suam felicitatem demonstravit nuper Dn. L. Fellerus in egregiis, quas loh. Henrico Eggelingio opposuit, Vindiciis) juxta Dn. D. Schweder. Introduct. in Jus Publ. part. Spec. Sect. 1. c. 1. §. 8. firmum authentici Tituli, in significatione deinde producenda accepti, & in specie Imperatorib. competentis, argumentum subministrat. δ. Sepulchri; quo sensu ap. Ovid. Ep. Herm. legimus:

Sculptaq; sint Titulo nostra Sepulchra brevi.

ε. *Quamcumq;*. Ita e. g. Crucis Dominicæ Inscriptionem, à Luca c. 23, 38. Ἐπιγραφήν dictam, D. Johannes c. 19, 19. 20. bis τίτλον vocat. (2) *Scriptionem aris in rationib.* (3) *Prætextum.* (4) *Causam, modum & rationem.* Quæ significationes potissimum sunt Jctorum. (5) *Parochias, & Tempora minora*, Basilicis s. majorib. contradistincta: Et hæc vocis usurpatio in Latina priorum seculorum Ecclesia fuit recepta, prout Onuphrius Panvinius in Interpret. voc. Ecclesiast. (annex. Platinæ de Vit. Pontt.) p. 66. refert, ubi: *Roma quoq;*, ait, *præter supradicta nomina, Tituli parœciæ & diaconia appellabantur.* Et paucis interjectis: *Tituli sunt sacra ædes, templa, vel (ut hodie dicitur) ecclesie, sive sacra loca &c.* Sed istæ Tituli notationes hujus loci non sunt.

II. Titulus h. l. dicit prædicatum personæ honorificum.

Dantur † & rerum splendida, personarum a probrosa sæpè prædicata, qualia sunt, inde quidem, Equus Generosissimus, Gemma Nobilissima; hinc verò, Furcifer, bipedum nequissimus, progenies viperarum (Mat. 3, 7. c.

23, 33.) doli omnis fraudisq; plenus, diaboli filius, omnis justitiæ hostis (Act. 13, 10.) &c. Quæ tamen Titulorum nomine non nisi κατὰ χριστιανῶν
4. veniunt. Propriè † Tituli competunt *Personis*, & tunc *Dignitatis* alicujus indices sunt, ut ap. Ovidium, l. 2. Fast. canentem:

*At tua prosequimur studiosò pectore, Caesar,
Nomina, per Titulos ingredimurq; tuos.*

5. An † hac in significatione sumptus Titulus, ut sc. appellationem notat honorificam, sit etiam *Bastardi* prædicatum, quod olim Filii Burgundicorum Principum Naturales, Dn. Becman. Notit. Dignit. p. 245. observante, inter Titulos suos nobiliores retulerunt? Dub.

III Titulus est vel Divinus, vel non Divinus.

6. Transeant † *profani*, quos Divinos facere Ethnici sustinere, Tituli. In S. Codice revelati exstant *veri, sancti, tantâq; Majestate digni, tum* quos DEUS in secula benedictus de se usurpavit ipse, e. g. Es. 43, 3. 15. Apoc. 22, 13. 16. *tum* quibus eum venerati sunt pii, v. Ex. 34, 6. Ps. 18, 2. 3. Desumuntur † a. Tituli Divini ab *Attributis* potissimum & *Operibus* Entis a deo eminentis, & prædicantur de eo, jam ut personaliter, jam ut essentialiter (sine tamen personarum exclusione) consideratur. An † in precibus Deus multis compellendus sit Titulis? Quæstio Moralis Theologica est, quam more suo dexterrimè expedit B. Kesslerus Theol. Cas. Consc. c. 14. ubi quoq; de Titulo: *Allerdurchlauchtigst / Großmächtigst / etc.* Salvatori nostro Jesu Christo ab imperitioribus quibusdam tribui solitò, judicium fert.

IV. Titulus non Divinus est vel Angelicus, vel Humanus.

9. Honorantur † & *Angeli* Titulis in S. Codice; sic e. g. Ps. 103, 20. *virtute potentes, starke Helden / Col. 1, 16. Throni, Dominationes, Principatus, Potestates* salutantur. Quibus in Papatu Titulis onerentur, notum est.

V. Titulus Humanus est Hominum vel mortuorum, vel vivorum.

10. *Mortuis* † Pagana Apotheosis *Divorum*, Papæa Canonizatio *Sanctorum*, Christiana Charitas *Beatorum* Titulum tribuit. De *Ethnicorum Apotheosi* v. Herodian. l. 4. & Joh. B. Casal. de Profan. Roman Ritib. c. 1. p.

11. 54. Quàm † venerabilis sit, quem Pontificia Canonizatio cudit, *Sancti* Titulus, ex Cardinalis Bessarionis judicio discere licet, exclamantis. cum Edmundum Anglum & Vincentium Hispanum *Sanctorum* ornatos Titulò percepisset: *Novi hi Sancti de veterib. mihi dubium movent!* ap. Lanf.

12. Orat. cont. Ital. p. 781. *Beati* † Titulò Patres quidem, etiam dum vita manebat, se invicem compellasse, novimus: (Hodiernum Pont. Romanos *viventes* vocari *Beatissimos*, transeat) *Nostris v. temporibus Beatos* lauda-

laudamus non nisi mortalitate egressos. Sollemnis quoque est, quando de defunctis loquimur, obliqui casus formula: *Beata, vel pia, aut, si de Principe sermo sit, gloriosa memoria.*

VI. Tit. Vivorum est vel propriae usurpationis, vel alienae attributionis. *Divinos* † etiam *propriae usurpationis Titulos* in Sacris observari, supra notavimus; sed eos, uti & *Angelis, vel Hominibus demortuis*, tributos, h. l. mittimus. *Hominum demum vivorum Tituli* jam mentis in se nostrae oculos convertunt. Eorum primi ordinis sunt, quibus quisque pro Status & Dignitatis suae conditione utitur ipse, quos proinde etiam *propria usurpationis Titulos* appellare placet.

VII. Titulus propriae usurpationis est vel *Gentilitius, vel Personalis, vel Communis.*

Gentilitius † Titulus est totius Familiae & ad posteros transmittitur: *Personalis* personae competit, quam non egreditur: *Communis* ab universitate s. Coetu aliquo communiter & aequaliter usurpatur. *Gentilitii* † Tituli in Nobilibus & Illustribus potissimum Dignitatibus reperiuntur, quales sunt *Patricii, Domini, Liberi Domini seu Baronis, Comitis, Burggrafii, Landgrafii, Marchionis* (quem Gallicus Tit. *Marquis* in S. R. I. neutiquam exprimit, unde Marchiones nostri à Gallis *Marggraves* salutari volunt) *Comitis Palatini, Principis, Ducis, Magni Ducis, Archiducis, Electoris, Regis, &c.* Quorum quidem Titulorum non omnes ubique terrarum sunt hereditarii; qui autem & quatenus tales sunt, eos *Gentilitios* esse, nemo dubitaverit. *Serenis, Holsatiae Ducibus* singulari ratione *gentilitius* est Titulus *Heredum Norwegiae*. De *Regio* † Titulo notandum I. eum ad *minores* etiam *Dominos*, superiorem sive agnoscentes, sive non agnoscentes, translatum in utraq; historia comparere; quem admodum hodiernum in Asia & Africa subordinatorum *Dominorum* non pauci *Regum* gerunt Titulum, e. g. *Rex Zeylon, Regi Pegu, Rex Decami Magno Mogor, Reges viginti & unus* (v. Bernh. Varen. Descript. Regni Japon. c. 10. p. 64.) *Japoniae Regi* subditi. Ea † a. *Regii Tituli* varietate factum, ut potentiores *Regis Regum* assumerent Titulum, quo etiam *Turcarum* utuntur *Sultani, Christiani* v. *Principes abstinent, Regum Regem* agnoscentes *Christum*, cui *mediorum Saeculorum Impp. Graeci* Titulum hunc in *Nummis, &c.* *Divini* face Verbi praelucente, sollemniter detulerunt. V. Dn. *Becman. l. c. pag. 7. seqq.* II. † not. *Regis* (ut & *Electoris*) Titulum ita esse *gentilitium*, ut *primogenito* quidem semper (in Regno sc. hereditario & *Electore* seculari) non autem *natorum* aut *agnatorum* reliquis competat &c. *Ceterum* † *modo* quodam

13

secun-

secundariò Gentilitii quoque sunt Tituli, quibus Reges Galliae *Christianis-*
simos, Hispaniae *Catholicos*, Angliae *Defensores Fidei* seipfos prædicant.
Christianissimi Titulum an inde à Ludovico I. an (quod multis videtur
 verisimilius) ex Pii II. P. R. concessione à Ludovico demum XI. Galliae
 Reges sibi vendicârint, non adeò certum. *Primogenitos* etiam *Ecclesiae*,
 præsertim quando ipsis cum Papa R. res est, sese vocant: Et id invitis qui-
 dem Anglis, primum, qui Christo nomen dederit, è Regibus Lucium
 20 Anglum laudantibus. *Catholici* † Titulus, quem Alphonsi I. fuisse con-
 stat, à Ferdinando V. demum ad Alexandri VI. vel, ut alii malunt, Julii
 II. placitum factus est hæreditarius, & inter Gentilitios assumptus. *De-*
 21 *fensoris* † *Fidei* Titulum Henrico VIII., Lutherum refutare auso, Papa
 Leo X. A. 1521. V. Idus Octobr. peculiari Bullâ detulit; Henricus verò
 Papatui postea mittens nuncium, ut Regiis nihilominus Titulus iste in
 perpetuum esset annexus, Parliamentariò sancendum Statutò curavit.
 Adjectus deinde *Supremi Capitis Ecclesiae Anglicanae* Titulus. Utròq;, nec
 variatò genere prioris Masculinò (uti aliàs & Maria Hungara *salutari*
Rex voluit, & Isabella Castellana Marito qualitate semper eadem con-
 juncta fuit h. m. Ferdinandus & Isabella *Reges Catholicos*) usæ sunt Maria
 atq; Elisabetha Reginae. Conf. B. Kromay. Th. Pol. Pol. part. alt. Loc.
 XX. Aph. 2. Elisabetham ferunt hoc nomine, cum aliquandò saltaret,
 id scommatis incurrisse: *En Caput Ecclesiae Anglicanae saltans!* Istò tamen
 22 eam Titulò abstinuisse tandem, constat. De Titulis † *Personalibus* mox
 in sequentibus. Tituli propriae usurpationis *Communes* sunt e.g. *Catho-*
lici, s. *Ecclesia Catholica* &c. *Ordo S. R. I. Equestris*, *Die Reichs Freye*
Ritterschafft / *Senatus Academicus* &c. *Consistorium Ecclesiasticum*,
 23 *Societas Fragifera* &c.
 VIII. Titulus Personalis est vel ab Officio desumptus, vel Privilegio con-
 cessus, vel singulari constitutione aut consuetudine introductus.
 23 Potest † quidem Titulus etiam *Gentilitius* vel Officio (hæreditario) vel
 Privilegio, vel constitutione aliâ niti, eò tamen ipso, quò totius stem-
 matis est, in natorum natos, & qui nascentur ab illis propagandus, in
 eò non tam fundamenti, quam ipsius Dignitatis hæreditariæ ratio habe-
 tur. At *Personalem* Titulum, quem nativitatis jus polliceri posteris non
 24 potest, ex quo capite sibi quisque vendicet, clarius patere debet. *Tres* †
 autem præcipuè, unde *Tituli Personales* facile omnes derivantur, *fontes*
 sunt, quorum primus, *Officium*, longè amplissimus est. Tot enim Per-
 sonales propriae usurpationis Tituli, quot Officia; quæ multifatia esse,
 neminem præterit. Ad istas tamen referri species forsân poterunt o-
 mnia,

omnia, quæ sc. *Officiâ* dispescuntur in *Eminentia & Ministerialia*, hæc
deinde in *Ecclesiastica, Civilia, Aulica, Scholastica, & Militaria*, ac porro
in *ordinaria & extraordinaria*. Ex † *Eminentibus* ut *Officiis*, ita *Titulis*, 25
principem tenent locum *Cæsar, Imperator, Augustus*. *Cæsaris* Titulum
C. Jul. Cæsar, qui ap. Sveton. in ejus vit. c. 79. plebi Regem se salutanti,
Cæsarem se, non Regem esse, respondit, natales debere, ἐξ ἀρχαίων est.
De † *Imperatoris* Titulo, antè quidem Castrensi s. Militari, & jam exer- 26
citûs Ducem, jam Hostium Victorem notante, res æqvè clara. Reti-
nuit eum rerum potitus Cæsar Imperator, adhibito tamen hoc discrimi-
ne, ut imposterum, non uti antè C. I. Cæsar Imperator, sed Imperator
C. I. Cæsar salutari vellet. vid. Sveton. l. c. cap. 76. Succedentes deinde
C. I. Cæsar in Summo Imperio Romani Principes Cæsaris Titulum &
Imperatoris sibi vendicârunt omnes; nisi quòd Imperatoris prænomine
Tiberium & Claudium abstinuissent Sveton. refert, in vita hujus c. 12. illius
c. 26. Migravit † & uterq; Titulus cum Imperii translatione ex Occi- 27
dente in Orientem, ubi quidem Imperatoris Titulum aliquamdiu Ἀυτοκράτορ
prædicatô exprimere Græci tentârunt. Seculis autem aliquot
elapsis in Occidentem Imperatoria Dignitas rediit, unâ cum memoratis
Titulis. Et quamvis Germani Imperatores *Cæsaris* Titulum, quàm Im-
peratoris, ut & Augusti, in *Latino idiomate* seriùs usurpârunt, & usurpa-
tionis hujus primordium non quidem ad Henricum S. Bavarum aut
Gvilielmum Hollandiæ Comitem demum, sed ad Ludovicum IV.
(cujus edictum cum hac inscriptione: *Imperator Ludovicus IV. Di-*
vino duntaxat munere Cæsar Augustus, &c. ex Goldast. T. 3. Constit. p.
410. allegat. Dn. D. Schweder. Introd. in I. P. part. spec. sect. 1. c. 1, §. 6.)
revocandum esse videatur; in *vernacula tamen lingua* Titulô Kayser i-
psum statim Carolum M. fulsisse certum est. v. Dn. Schwed. l. c. *Im-* 28
peratoris † Titulo usi sunt aliquandò etiam Alphonsus VII. Hispaniæ, Ed-
garus & Jacobus I. Angliæ Reges; verùm in *significatione arbitrariâ* po-
tius, quàm solenni & receptâ. Hodie Russiæ quoq; Monomotapæ, Si-
næ, Japoniæ Principes Imperatores sese vocant; sed *abusivè*. *Augusti*
† Titulum primus assumpsit Imperator Octavius apud Sveton. in ejus vit. 29
c. 7. Nec imitari institutum Octavii dubitârunt Successores, quem-
admodum prior illorum Tiberius, authore eodem Svetonio in ejus
vit. cap. 26., Augusti nomen datis ad Reges & dynastas Epistolis
addidit. Imperator † Justinianus in præfationibus Legum se vocavit 30
Semper Augustum; quo Titulô Impp. Germani à Friderico I. juxta
Dn. D. Schwed. l. c. §. 5., juxta Dn. Becmannum verò l. c. p. 42. ab Ot-
tone

rone I. ad Leopoldum nostrum (cui Vita, Salus, Victoria!) haecenus
usi sunt; non obstante, quod à Rudolpho I. ad Matthiam I. usq; Status at-
que Ordines plusquam ducentos ab Imperii Rom. obsequio varia tem-
31 pestas avulserit. v. Lans Orat. cont. Germ. p. m. 857. Eminentem & Officio
respondens Titulus est quoque; *Rex*, quo Henricus Auceps usus est, ut tabu-
lae Veteres confirmant. Romanis tamē, ex quo Tarquinium expulerant,
exosum erat Regium Nomen & intolerabile, fatente Scipione ap. Liv.
Dec. 3. l. 7. Hodiernus Rom. Imperii status Regem non admittit tantum,
sed & quandoque; requirit. *Personalem* in eo, ut & in Polonia, hunc Titu-
32 lum esse, notum. Eminentem & denique; inter propriae usurpationis Ti-
tulos locum occupat *Princeps*. Principis nomine Cæsar Augustus Imperium
accepit. vid. Tacit. Annal. l. 1. c. 9. Hodie *personalem* Principum Titulum
qui sibi vendicant, quales in Rebus publicis potissimum Liberis sunt, Mi-
norum ferè gentium Principes sistant. *Ducum* Titulus iis frequentior
33 est. De & *Titulis*, quos *Ministerialia* inferunt *Officia*, commentari bre-
vitatatis studium non permittit. Illud unicum notamus, in Gallia *Paris*
Titulum à Fœminis etiā acquiri, & terminatione quidem Masculinā. Ex-
emplum hodie exhibet Domina d' Aiguillon, cujus Titulus est: *Duchesse*
34 *se & PAIR de France*. Alterum & personalium Titulorum fontem consti-
tuunt *Privilegia*; quorum favore Tituli Personales potissimum sunt vel
35 *Eqvestres*, vel *Academici*. De & Eqvestribus Titulis observandum, *Eqvi-*
tis vocem distinctè h. l. sumi, prout nempe Dignitatem dicit *Nobilibus*,
quā talibus (alias etiam *Eqvitibus* in sensu laxiori dictis) non competen-
tem, verum iis, ut ipsis sæpè Principibus, imò Eruditis quandoque; (exem-
plo Dan. Heinsii, quem S. Marci Eqvitem fuisse constat) specialiter obla-
tam & concessam. Est autem Eqvitis Titulus vel *simplex*, vel cum certi
Ordinis Eqvestris mentione *conjunctus*, ut *Eqves Aurei Velleris &c.* Hu-
36 jus & magna fuit Tituli reverentia quondam: Hodie forsitan imminuta
non nihil per abusum videri posset. De *S. Michaëlis Eqvitibus Gallis C.*
Tiercelling Rupimanius, moris Eqves antiqui, indignabundus mordaci
sæpè dicere dicitur non est veritus: *Torquem conchyliatum, ex quo in-*
dignis promiscuè communicari cepisset, non jam esse fortium virorum in-
signe, sed omnium bestiarum collare. v. B. Lans. Orat. cont. Gall. p. 331. *Ac-*
37 *demici* & Tituli non mitiora experiuntur fata, ex quo Italis Graduum
Scholasticorum placuit facere mercaturas (conf. laudat. Lans. Orat. cont.
Ital. p. 780.) & in Germania Laurus minus felicitum quoque; quos Cele-
berr. Taubmannus in Dissert. de Lingva Lat. acriter perstringit, Vatum
tem-

tempora cinxit. De B. Sibero refert Dn. Weisius in der grün. Zug. noth-
 wend. Sed. præfat. ad Lectorem, sapius eum (incertum, serid, an per jo-
 cum) se scripsisse *Poëtam non coronatum*. Aliàs etiam hodie sublimioris
 eruditionis laude munerisq; & meritorum gloriã conspicui quidam Ti-
 tulus, quos parentibus ipsis Privilegia concessere, solennibus abstinent.
 &c. Ratio evidens est. Sunt † tamen etiam, qui usui ex abusu nullum, 38
 aut vix attendendum, metuunt præjudicium. Seculi sc. vitia sunt, quæ
 omnem hominum invaserunt Ordinem: Si eapropter ab eo, in quo quis-
 que militat, appellari dedecus est, aut opprobrium, ζῶον πολιτικόν, cui vi-
 sum fuerit, esse desinat, vel in Remp. Platonicam transeat. Corydon
 quoq; & Chorœbus homines sunt atq; dicuntur; ane humanitatis ideò
 quenquam pudet? Ita ferè alii. Nos rem in medio & liberum cuiq; ju-
 dicium relinqvimus. Tertium † Personalium Titulor. fontem dixim⁹ 39
 esse *singularem aliquam constitutionem*, aut etiam *consuetudinem*. No-
 tabiles, qui ex hoc fonte derivantur, Tituli præcipuè sunt Regiarum Vi-
 duarum, Regum minorennium, Primogenitorum Regiorum, prolis Re-
 giæ reliquæ, filiorum deniq; in Familiis Illustribus Naturalium Tituli.
Regiarum † Viduarum (Filio Rege superstite) Titulus plerumq; est, præ 40
 fertim in Gallia, *Regina Mater*, quò etiam usæ sunt Catharina de Medi-
 cis Henrici II. Maria de Medicis Henrici IV. & Anna Austriaca Ludovi-
 ci XII. Gall. R. Viduæ. *Reges † Minorenes* plerubiq; gaudent Titulo 41
Regis absolutè positò. In Suecia *Principis Hereditarii* Titulum addunt;
 Christina vero etiam *designatam* se Reginam vocavit, quæ tamen *designa-*
tionis mentio sub hodierno Rege Carolo XI. adhiberi desit. Titulus † 42
Primogeniti Regii in Gallia est *Delphinus*, in Hispania *Princeps Asturia-*
rum (Philippus tamen II. aliquando *Principis Navarrae* nomine usus fuit)
 in Anglia *Princeps Walliæ*. *Hispania † & Portugallia Regum filii & fi-* 43
liabus familiaris est Titulus *Infantum*, quem toto vitæ suæ tempore reti-
 nere amant. Sereniss. Familia Austriaca, cum sapius usurpavit, ipsiq;
 etiam Archiducali Titulo anteposuit. In Gallia *Regior. Liberatorum* &c.
 Titulus est *Filius* vel *Filia Franciæ*. *Filiis † Principum Naturalibus* Titu- 44
 li sunt dubii. Sortiuntur quandoq; novos, ut Caroli II. Angliæ Regis fi-
 lius Titulum *Ducis de Montmouth*; quandoq; de Parentis Titulo aliquid,
 suppressâ Dignitate decerpunt, ut Imp. Caroli V. & Philippi IV. Hispani
 Naturales filii, quorum uterq; Titulum gessit *Johannis de Austria*, s. *Don*
Jean d' Austria: Ita Aurelianensium in Gallia Ducum progenies Natu-
 ralis non quidem Ducis Titulo, prædicatò tamen *d' Orleans* utitur. vid.

45 Dn. Beeman. Not. Dign. p. 78. & 144. sqq. Quò † *Papæi* propriæ usurpationis *Tituli* rectè referantur, citra iudicium Theologicum statuere difficile est. *Archiepiscoporum. & Episcoporum Alexandria, Antiochie, Corinthi, Smyrna &c.* Titulos hodie inanes esse novimus. De *Cardinalium Titulis*, quibus se vocant e.g. *Cardinales Tit. Pammachi, Eudocia &c.* quorum nempe beneficiis & legatis fruuntur, vid. Casal. de Vet. Sacr. Chri-
 46 stian. Rit. c. 83. p. 424. Hactenus † breviter de propriæ usurpationis Titulis, qui semper in *concreto* ferè efferi solent; in *abstracto* observantur rariùs. *Nostri Serenitas*, ait quidem Imp. l. 3. C. ubi Senatores. Et Patriarchæ Constantinopolitani Titulò *μνησίου* seu *mediocritatis sua* quandoq; usi sunt. Hodie abstracti Tituli *attributionis* potissimùm *alienæ* sunt.

IX. Titulus alienæ attributionis I. est vel simplex & solitarius, vel stipatus.
 47 Tituli † *alienæ attributionis* sunt, quibus quisq; ab aliis honorificè saluari solet. *Simplices* communiter sunt *Dominus, Domina, Virgo &c.* (De Titulis sublimioribus deinde dicendum erit) *Stipati* unum, vel plura *Epitheta* in comitatu habent. *Domini † Dominae*, Titulus (cujus usum *eminentiorem* sequenti Th. reservamus) ad inferioris conditionis homines devenit per aliquam *catachresin*, qua jam *ætate Martialis*, ut ex pluribus *ejus locis* videre est, *Patres, fratres, ac quoslibet obvios appellârunt Dominos*; quemadmodum *uxores vocabant Dominas*. Distingvendus verò *hic usus*, qui *κατοχρησις* ab eo, quò *uxores sic vocabant tanquam familia Dominas*. -- Imò jam *Seneca* temporibus *morem hunc fuisse*, argumento est illud ex *epistola ejus tertiâ*: *Obvios, si nomen non succurrit, Dominos salutamus. Quòd item epist. CIV. Junium Gallionem fratrem vocat Dominum suum. Elegans est hac de re Palladæ Epigramma in primo* *Ἀυτολογίας* titulo:

Ἦν ὁ φίλος τὴν λάβη, δόμινε φράττερ, εὐθὺς ἔρχεσθαι
 Ἦν δ' αὖ μὴ τι λάβη, τὸ φράττερ εἶπε μόνον.
 Ὅντις γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα, αὐτὰρ ἔχουσα
 Ὅντις ἐθέλω δόμινε. Ὅντις γὰρ ἔχω δόμινε.

Tandem non fratres modò, d. etiam filios dixere Dominos, ut in *inscriptione antiqua*, sed hominis tamen *Christiani*: **DOMINO FILIO INNOCENTISS.** Hujusmodi omnia per *abusionem* dici, arguit illud, quòd *Domini vox sit correlatum servi &c.* Est discursus G. I. Vosii *Comment. Rhet. part. 2. l. 4. c. 12. p. 219. 220.* Antiquitatem verò hujus in vulgari notatione sumpti Tituli quod concernit, longissimè illa supra *Martialis ætatem* affurgit. Conf. modò *Gen. 24, 18.* De † *Quæstione: Quid habendum sit de quorundam Pseudo-Politicorum consuetudine, quâ in literarum inscriptione*

ptione Verbi Ministros non salutant Hery / sed vel Er / vel Erz / vel Ehr ?
legi meretur B. Waltherus Cent. Miscell. n. XCIX. p. 668. sqq. præser-
tim 674. De Virginis Titulo v. inf. th. 13. Titulos *Stipatos* recensere
longum foret, & forsan ingratum. Studiò ig. eos h.l. negligimus.

X. Titulus alienæ attributionis II. est vel *Receptus & Ordinarius*,
vel *Arbitrarius*.

Receptus † & Ordinarius, quem aliis tribuimus, *Titulus* est vel in saluta- 50
tione, literarum inscriptione &c. vel in Orationis progressu adhiben-
dus. Hic, si oratio ad Superiorem vel parem sit directa, solet esse ab-
stractus, ut *Majestas, Serenitas, Celsitudo, Excellentia &c.* Ibi modò
est is, quem compellendus usurpat ipse, ut *Cæsar, Rex, Princeps, Rector,*
Doctör &c. modò *Substitutus*, ut *Monarcha, Dominus, Patronus, E-*
vergeta &c. Uterq; deinde vel *solitarius*, vel *stipatus* esse potest. De
quibus mox. *Arbitrarius †* ab uniuscujusq; arbitrio pendet. Ita Titu- 51
lus est *Arbitrarius*, quò *Doctores* appellantur *Angelici, Seraphici, Sub-*
tiles, Irrefragabiles, &c. *Patroni Optimi, Maximi, &c.* *Principes Au-*
gusti, Reges Augustissimi, Monarchæ, it. Imperatores exemplo Sancti
Magni, Hispani, Caroli II Angli R. &c. (v. Dn. Becm, l. c. pag. 18. sqq.)
præsertim Gallorum Regum, quos Turcarum Sultani sæpiùs, Romani
Papæ quandoq; vocarunt Imperatores. Interim negari non potest,
Arbitrarios Titulos successu temporis *Receptorum* sæpè & *Ordinariorum*
loca occupare, quibusdam etiam cum pietate non adeò benè conveni-
re. *Singulares †* fuerunt Tituli Herois incomparabilis *Job. Friderici* 52
Sax. El., cujus tumulo, memorante Calvis. in Op. Chronol. ad A. C.
15-54. pag. 844. & Christ. Matth. Theat. Histor. p. 107. ista leguntur ad-
scripta: *Johann-Fridericus, Dei gratia electus Martyr Jesu Christi, Dux*
afflictorum, Princeps Confessorum fidei, Comes Veritatis, Signifer Sanctæ
Crucis, Exemplum Patientiæ & Constantiæ, Hares Viæ æternæ, moritur
Mense Martio &c. Et B. Lutheri, qui Librum suum contra Henricum
Angliæ Regem T. 2. Jen. G. fol. 132. ita exorditur: *Martinus Luther von*
Gottes Gnaden (sine dubio ad 1. Cor. 15, 10. respexit) *Ecclesiastes* 318
Wittenberg / an Heintzen von Gottes Gnaden König von England.
XI. Titulus alienæ attributionis III. est vel *Majori à minore*, vel *mino-*
ri à *Majore*, vel *pari à pare* deferri solitus.

Quivis † *minor Majorem, inferior Superiorem* veneratur Titulò *Domi-* 53
ni; quòd si *Major* vel *Superior Princeps* sit vel *Magistratùs officium* ge-
rat, *Dominus* jam non in vulgari significatione, verùm eminentiori ra-
tione salutatur. Est † autem *Dominus* juxta Tertull. Apol. c. 36. *nomen* 54
Potestatis; imò *Dei cognomen* (v. eundem ib. c. 34.) Quo posteriori sen-
sue veteres Christiani, exemplò *Polycarpi Martyris* ap. Euseb. H. E. l. 4.

c. 14. , Titulum Domini Imperatoribus negarunt , & Tertullianus l. c. *Dicam planè , inquit , Imperatorem Dominum ; sed more communi , sed quando non cogar , ut Dominum DEI vice dicam.* Evitaturi homonymiam istam Christianorum Imperatorum priores , mutilatos tantum Titulos (ΚΥΡΟΣ, DOMNUS) admiserunt. Ex † Ethnicis quoque Impp. Augustus *Domini* appellationem à Romanis & publicè delatam , ut maledictum & opprobrium , semper exhorruit. Tiberius *Dominus* appellatus à quodam , denuntiavit , ne se amplius contumeliæ causâ nominaret. Svet. in vit. hujus c. 27. illius c. 53. Idem fecerunt prudentiorum ceteri. Sed ratio fuit longè alia. Esse sc. quàm dici , tutius videbatur. Interim in privatis tamen appellationibus *Domini* liberè audiebant. v. Act. 25, 26. Et ipse Augustus ab extraneis , iis etiam , qui coram ipso verba faciebant , exhibitum *Domini* Titulum non repudiavit , ut ex Josepho , in ultimis Antiqq. libris , it. l. 2. c. 1. de Bell. Jud. constat. Muliere † muliebrior Heliogabalus Titulum *Domini* etiam damnavit ; verùm quia *Domina* dici maluit. De † variis Tituli hujus vicissitudinibus conf. Dn. Beem. Not. Dign. p. 29. sqq. & Vofs. l. c. Hodie circa usum illius nulla notabilis controversia. In Gallia *nudus* , alibi Epithetis quibusdam *vestitus* exhibetur. Singuli † Principum Tituli aliunde noti sunt. Ex illis quibus Imperatorem nostrum veneramus , maximè fulget *Divi* Titulus & *Sacratissimi*. Sacra enim est officii , quod gerit , & origo & Majestas ; unde *Palatium* quoque ejus dicitur *Sacrum*. *Divi* Titulum , de quo v. omninò B. Dannh. Th. Consc. T. 1. p. 893. , primùm *defunctis* Impp. Apotheosis conciliabat : Mediis seculis Imperatores eò gaudebant *vivi* , & quidem juxta quosdam multò , quàm nostra ætate , frequentius. Carolus M. ab eo , ceu minùs Christiano , abhorruit. De † ipso *Imperatoris* Titulo inter Rudolphum II. & Achmetem Turcarum Sultanum convenit , ut in literis utriq; *Imperatoris* , non *Regis* , Titulus tribueretur , aliàs autem Cæsar noster *Patris* , Sultanus *Filii* nomine compellaretur. v. Beem. l. c. p. 21. Titulus † *Serenissimi* olim Imperatoribus , hodie Principibus , ex quo à Bavariæ Ducibus Germaniæ fuit illatus , (conf. Acta Colloq. Ratispon. it. Dn. Schwed. l. c. part. spec. Sect. 1. c. 1. §. 8. seqq. & Dn. Beem. l. c. p. 35.) tribui consuevit. Receptus † est etiam Titulus *Patris Patriæ* , à J. Cæsare assumptus , à Tiberio recusatus , Augusto publicè delatus. Svet. in vit. hujus c. 58. istius c. 26. illius c. 76. *Abstracti* , † qui Superioribus (& Paribus etiam) tribuuntur , Tituli olim erant rariores , & ipsâ Galliâ Titulus *Majestatis* , in quem ob fœmininam terminationem Pasquier. ap. Dn. Beem. l. c. p. 23. invehitur , ad Henrici II. usq; tempora manebat exclusus : Nostra v. tempora in sermone cursu eos vel solos requirunt. An † *Politici Principum & Magistratum*

gistratum Tituli precibus etiam ad DEUM sint immiscendi, Quæstio Mo-
ralis Theol. est, ad quam nervosè respondet B. Kefsl. Th. Cas. Consc. c. 9.
Tituli, † quibus Pares (paritate non omnimoda & rigorosa, sed tali, quæ 64
aliquam gradûs differentiam admittit) se salutant invicem, à Stemmat-
is, vel Officii, vel utriusq; simul dignitate desumuntur. De † Titulo Sem-
per Augusti tempore Pacificationis Monast. Imperatori nostro litè mo-
verunt Galli, non quidem Titulum impugnando ipsum, sed saltem con-
suetudinem, Imperatori eum à Galliæ Rege tribui vetantem, urgendo;
tandem tamen in eum sub spe rati consenserunt; ut ex Theat. Europ. T.
VI. p. 568. refert Dn. Becm. l. c. p. 42. qui etiam p. 22 23. controversias de
Titulo Majestatis inter Imp. Rom. & Reges Galliæ, it. inter Philippum
II. Hispaniæ & Fridericum II. Daniæ Reges observat. Principes Titulo
Dilectionis (Eure Liebden) se mutuò sine controversia alloquuntur. &c.
Tandem † & minorum ac dignitate inferiorum quod concernit Titulos, 66
quibus ornare illos neq; Majores aut Superiores dedignantur, sunt illi
vel Gentilitii, vel Officarii, vel Honorarii. Magna ex his Principum quan-
doq; Gratia elucet. Imp. Tiberius Senatores Romanos etiam Dominos
appellare non dubitavit. Angliæ Rex Comites Consanguineos su-
os vocare dignatur. Patris Titulum senio & fide conspicuus Minister
non rarò à Principe suo reportavit. Sereniss. Br. & Lun. Ducem Augu-
stum B. Joh. Valentino Andrea Domini & Amici Titulum literis propria
manu exaratis indulgisse novimus. Non Principes desunt, qui Theologos
celebriores suâ propriâ & alienâ manu vocant Ehrwürdig & Herrn.
Quemadmodum ipse ego Epistolas ad me datas non paucas in numero
habeo, quibus huic assertioni fidem facere possum, inquit B. Waltherus l.
sup. cit. p. 673. Carolus V. in dem Wormbs. Citation und Geleitsbrief
6. Mart. A. 1521. B. Luthero hunc Titulum tribuit: Dem Ehrsamem unserm
lieben Andächtaen D. Martin Luther / Augustiner Ordens. Ferdinan-
dus verò, t. t. Rom. Rex, in literis 1. Febr. A. 1537. perscriptis istum:
Dem Ehrsamem und Gelehrten unserm und des Reichs lieben getreuen
Martin Luther / der H. Schrift Lehrer zu Wittenberg.

XII. Titulorum usus est omnium Gentium atq; temporum.

Antiquissimum † esse Titulorum usum, Sacer, quò antiquior non datur, 67
Codex; universalissimum, omnium populorum praxis abunde testantur.
Hispani præsertim, juxta B. Lanf. Orat. cont. Hisp. p. 392. omnibus aliis po-
pulis ad ceremoniarum pompam, ad adulationum solennes formulas, & lon-
gos Titulorum tractus sunt duces. Barbari v. gentesq; iis viciniore, ri-
diculis potiùs, quàm nullis superbiendum sibi Titulis putant. Rex Bis-
nagensis seipsum dicit Sponsum bonæ sortis, magnarum provinciarum De-
um, loqui nescientium Doctorem, Equitem, cui nemo par, quem octo Mundi

partes metuant &c. Superiori seculo celebris ille *Basilius Russus Magnus DEI Camerarium* se prædicavit. *Turcarum Sultanus Gaudium Dei, DEum unionis, Dominum Sanitatis, Angelum Paradisi* &c. vocare se solet. *Sapor Persar.* Rex epistolam ad Constantinum sic exorsus est: *Rex Regum Sapor, particeps siderum, frater Solis & Luna* &c. quem hodierni Persiæ Reges sæpius imitantur, erga alios tamen in deferendis Titulis itidem non parci. (Sereniss. Holsatiæ Duci inscriptum à Persarum Rege Titulum recenset Burgold. P. I. Discurs. 10. §. 18.) Et in Oriente quidem fastus talis ab antiquissimis temporibus usq; radicans fuit, inquit Beem. p. 73. conf. Dn. Pufend. de I. N. & G. l. 8. c. 4. §. 19.

XIII. Tituli (ut tempora, mores, vestes) multiplicem patiuntur variationem.

- 68 *Vetustiores* † quos desuetudo penitus sepelivit, Titulos, quales e.g. sunt abstracti, *Gravitas, Experientia, Laudabilitas* &c. Item Vernaculi: *Züchtig / wohl Züchtig* (Nobilium olim Tituli) &c. chartæ angustia prætereire jubet. Paucorum saltem, quorum usus adhuc viget, valorem, per temporum vices & locorum discrimina variatum, breviter notabimus.
- 69 Olim † Titulus *Serenissimi & Serenitatis*, ut ex Cod. Justin. constat, Imperatori, postea Regibus etiam; *Illustris, Magnifici, Amplitudinis Prætorii Præfecto; Spectabilis ac Decani Provincia Præfecto* competeat. Imò Imp. Valerianus, Carinus & Numerianus, Severus, Maximianus &c. *Nobilissimi*; Carolus M. *Illustrissimus & Excellentissimus*, item *Spectabilis & Magnificus*; Fridericus II. *Illustris & Præclarus*, salutabantur. *Clarissimi* vocabantur antiqui Duces & minorum Provinciarum Præsides; *Illustres* deinde Principes, porro, & proximis adhuc seculis, *Illustrissimi*, præsertim Electores. Titulum *Fürstherr* Principes & Comites juniores gerebant. *Weste & Ehrnweste* / superiori demum seculo Nobiles salutabantur, mox *Strenge* seu *Gestrenge* / tandem *Edle* / qui Titulus Baronum prius erat. Cancellarii, Consilarii, Doctores &c. *Eximii, Ornatissimi, Præstantissimi*; integri Rerump. e.g. Poloniæ, Venetiarum &c. Senatus *Amplissimi* prædicabantur. Nostro seculo horum & hujusmodi plurium prædicatorum alia esse subjecta, nemo tam hospes est, qui ignoret. *Illustres* † nos vocamus *Comites ac Barones. Serenissimi* Titulum præter *Archiduces de Augusta domo Austriae rari Principes ex Imperii nostri proceribus* admittunt; inquit sua ætate B. Lans. Or. cont. Ital. p. 769. At nec hanc appellandi rationem usus amplius patitur. Quod † autem Or. cont. German. p. 879. ait: *Vienna tempore Aeneæ Sylvii Nobilium filie Virgines appellatae honoris agnoscebant titulum; hodie illud Nomen infra Nobilitatem esse à multis existimatur*: Id verò jam per omnem ferè Germania invaluit; unde Principum filia non amplius *Domicella* (*Fraulein*)

(Fraulein) sed Principes (Prinzessinnen) salutari amant. v. Weis. Pol. Redn. p. 197. In † Gallia olim etiam Baro audiebat Sire. In Anglia 72 v. hodiernum Comites, Vice-Comites, & Barones Honoratissimi Titulo compellantur.

XIV. Titulorum effectus vel favorabilis est, vel odiosus.

In † Aulis praesertim & Curii. Sumitur autem Favor vel pro benevo- 73 lentia, & ita ex Titulis tum propriae usurpationis, tum alienae attributionis, ad salutantem & salutatum redire potest: vel pro aliquo commodi medio, & sic favor, quem ex usurpationis propriae Titulis e.g. Principes &c. lucrentur, ipsos tantum & ipsorum Interesse, sc. vel Dominium directum, vel Jus Successionis, vel praetensionem &c. respicit. Odiosi † 74 Titulorum (sc. vel ex negligentia omissorum, vel praeter morem variorum, imminutorum &c.) Effectus sunt praedicta, indignatio, odium, invidia, lites, bella &c. Conf. Dn. Pufend. de I.N. & G. l. 1. c. 1. §. 18. Hinc in materia Titulorum tot ad declinanda praedicta protestationes, & pro re natae recusationes, exprobrationes &c. Cum Darius ap. Curt. l. 4. c. 1. Regis Titulum suo, non item Alexandri nomini adscripsisset, male id Alexandrum habuit. Agitatas de Titulo Imperatoris disceptationes inter Basilium Macedonem & Ludovicum II, quem ille Πῆνα (Regem) vocandum censuit, v. ap. Bectman. p. 17. 18. In Moscovia Legati Polonici literae, quoniam earum inscriptio Principem non Imperatoris & Monarchae Titulo venerabatur, Thuano teste l. 138. neque resignatae fuerunt, neque acceptae. Responsorias Electoris Trevirensis ad Hetruriae Ducem Legatus hujus Coloretus, quod Illustrissimi tantum Titulo inscriptae essent, accipere penitus recusavit. De indignatione, quam Veneti, Sabaudiae Ducis filios non Celsitudinis, sed Excellentiae Titulo salutantes, incurrerunt; item de certaminibus inter Barones & Nobiles Austriacos circa Titulum Gratosi (Gnaden Titel) conf. B. Lanf. Orat. cont. Ital. p. 770. & cont. Germ. p. 900. Belli exemplum non adeo est antiquum, cujus causas in Manifesto exponens altera belligerantium pars etiam omittas in Titulo tres Etceterationes allegavit.

XV. Ut alias, ita & in Titulis Modus laudem meretur.

Ut † nihil est, quod non in abusum trahi aptum sit, vel trahatur etiam; 75 ita Tituli quoque abusu sunt obnoxii, & Excessus patiuntur suos ac Defectus. Defectum deprehendere vix licet, nisi in quibusdam mediocrium seculorum Magnatibus, qui infra sortem suam descendentes abjecta Nomina Humiliatoria seu Titulos Paenitentiales (quales sunt Opilio, Grand Bauf, Lambert, q. e. Unwerh &c.) vel ultrò susceperunt ipsi, vel à Pontificibus impositos religionis opinione tulerunt, de quibus Dn. Bectm. l. c. p. 77. Excessus † paulò frequentior est. Scil. Nobilitatem suam fucis 76 tantum


tantum Titulorum, & aliis nugis, multi dignitatum mangones & falsarii in-
 crustant, sæpè cum magno augustæ virtutis detrimento & damno; ut gravi-
 ter pronunciat B. Lanf. Or. cont. Ital. p. 769. cujus testimoniò Titulum
Viri Nobilis omnes in Lusitania Opifices, in Italia bubulci & cerdones
 ferè quilibet; *Magnifici* deinde prædicatum in eadem Italia etiã sellulariæ
 operæ artifices sibi deposcunt, & aliter appellatos contumeliosè se ha-
 beri putant: (unde non mirum, quemvis, etiam novellum, Doctorem
 ibi *Illustrissimum* audire.) In Hispania v. Sutorum quoq; animi de *Ma-*
 77 767. 769. Atat, † si vera fateri velimus, non soli hæc lue Itali laborant
 aut Hispani. Iliacos intra muros peccatur & extra. Queruntur certè
 ea de re ingenui omnes atq; cordati, & multis è suprema Dignatione
 Viris molestius contingere nil potest, ac hodiernus ille, cujus nec mo-
 dum vident, nec metam, Titulorum (in ipsorum licet venerationem
 adhibitorum) abusus. Titulis enim ita luxuriari, iis est ambitiosò con-
 78 vitiò virtuti illudere. Cæterum † ab ipsis etiam *Patribus* Titulorum
 modum quandòq; minùs fuisse curatum, in eorum Epistolis observare
 licet.

XVI. Receptos tamen Titulos prudens non temerè negligit
 aut immutat.

79 Stulta † erat *Seditiosorum* illorum, de quibus Joseph. l. 7. de Bell. Jud. c.
 19., *Judeorum* temeritas, Cæsarem vocare *Dominum* pertinaciter detre-
 ctantium, cum tamen sancti ipsorum ex V. T. Majores non pios tan-
 tum Reges, sed & Tyrannos *Domini* Titulo venerati sint. Eorum vesti-
 giis insistant hodie *Quakeri*, uti neminem alium, ita nec supremos Ma-
 gistratus honorificè compellare soliti. v. B. Mülleri *Quackergreuel*. Qui-
 80 dam † alii, cætera saniores, Titulor. arbitrium sibi potiùs, quàm trium
 literarum Tyranno vendicandum reputantes, ad sui dictamen judicium
 eosdem exhibent. At ita ludibrium sæpè, sæpè periculum incurrunt.
 81 Prudens † adultis jam & prævalidis seculi moribus atq; modis non fa-
 cile obnititur. Vanitas equidem Titulorum non est nulla: Quousq;
 tamen DEI Gloria, quousq; Conscientia non læditur, communi
 non immeritò consuetudini cedendum, & ut benè monet Dn. Becm. p.
 24. *insistenda reliqua via est, quam multi, nec dirigenda brachia contra tor-*
rentem, ne uni sapere velle præ aliis videamur. Insanientis enim (juxta Sva-
dam illam Lugdunensem Epist. 74. Cent. 3.) sapientia est, ita se compara-
re, ut soli sapere videamur, & contra sapiens insania censetur, servire po-
pulo ac scæne. TANTUM.

S. D. G.






85852

ULB Halle 3
005 363 56X



VD 77







18

2D . B. V.
 DISSERTATIO
 DE
TULLIS,
 PRÆSIDE
DR: DAVIDE
AROLO,
 philosophicæ Adjuncto,
 RESPONDENTE
ANNE Dünnehaupt/
 vedlinb. Saxone,
 ta Laureato Cæsareo,
ruditorum examini exposita
 Mart. A. M DC LXXXVI.
 H. L. Q. C.

•••••
 WITTEBERGÆ,
 JOHANNIS WILCKII.